

Nesselhauf, N. *Scripsi Berolini* (April 1936).

Diplomata militaria, quae tum nota erant, Theodorus Mommsen primum a. 1873 edidit in Corporis Inscriptionum Latinarum volumine III; nam maior pars eorum ad provincias illo volume comprehensas pertinuit. Bis deinde additamenta subministravit. Primum quidem a. 1893 in supplemento voluminis III primo omnia diplomata tum nota ita composuit, ut antea iam a se edita paucis, quae utilia visa sunt, adiectis breviter memoraret, quae nova accesserant, ederet et suis quaeque locis insereret. Erant tum diplomata n. XCVII. Postea a. 1902 in supplemento altero eiusdem voluminis p. 2212 sqq. alia tria et denuo p. 2328<sup>44</sup> sqq. duodecim adiecit, ut nunc in vol. III edita sint diplomata n. CXII. Interim non solum numerus diplomatum aliquanto accrevit, sed etiam textus commentariique a Mommseno editi novis testimoniis allatis vel antiquis iterum perpensis magna ex parte suppleri vel corrigi potuerunt, ita ut e re esse videretur totam materiam nova cura collatam et auctam denuo edere. Ut materia Mommseni a nova, verba illius a meis ubique discerni possent, hanc legem secutus sum: Diplomata a Mommseno iam edita facile agnoscantur eo, quod numeris, sub quibus hoc in volumine recensentur, adiecti sunt numeri ii, sub quibus a Mommseno in supplementis vol. III edita sunt, e. g. n. 33 (=XIX). Quae ad diplomata ubicunque in fine adnotatum invenies post Mommsenum me quoque textum contulisse, ibi expectare debes et textum ipsum diplomatis et transcriptionem plus minus mutantem esse, etiamsi id in editione non notavi. Item si quid novi enotuit sive de mensuris sive de locis, ubi reperta sunt et adservantur diplomata, quibus de rebus refertur ad singula exemplaria ante textus ipsos, haec mutationes non significantur. Sed per totam adnotationem, quae textum sequitur, exceptis transcriptione (de qua supra) et testibus, additamenta mea acutis cancellis () distinxii. Diplomata post Mommsenum reperta ut eo agnoscantur, quod uno numero solo significata sunt, ita illis cancellis acutis omnino carent. — Aliter rem in summario tractavi; ibi enim si contentus fuisse additamenta quaedam inserere, quaestionum solvendarum difficultatibus satisfacere vix

potuisse. Itaque ibi non mea, sed Mommseni verba (quae ubicunque fieri poterat ipsa attuli) distinxii signis «»; ad significanda verba mea cancellis acutis () non usus sum nisi tum, cum in Mommseni verba laudata inciderunt. De notis in transcriptione diplomatum adhibitis vide infra.

Viris rerum aetate imperatoria gestarum studiosis fontes rei militaris fortasse gravissimos, diplomata militaria, hoc volumine componere illustrare indicibus laterculisque instruere mihi proposui. Non est eorum, qui inscriptiones in Corpore Inscriptionum Latinarum edendas curant, materiam omnem interpretando exhaustire. Veniant scientiae grammaticae periti perscrutenturque nomina peregrina, veniat aliquis, qui Cichorii opus de auxiliis exercitus Romani denuo aggrediatur omniaque, quae ex scriptoribus monumentisque de singulis auxiliis scimus, congerat effingat, veniat is, cui imperatorum Romanorum bella exercituumque distributiones curae sint: si fontes hoc in volumine usui aptos, si quaestiones, quae ex hoc fontium genere oriuntur, in summario diligenter tractatos invenient, satis erit.

Quod diplomata militaria permulta sive ad aera ipsa sive ad ectypa gypsacea sive ad imagines photographicas contulere potui, id debeo comitati liberalitatique eorum virorum, qui musea regunt, in quibus diplomata adservantur. Nomina eorum, qui me tali modo adiuverunt, inveniuntur infra, ubi singula diplomata tractantur. Quibus praeter me ipsum unumquemque, qui hac sylloge usurus est, gratiam habere scio. In primis autem gratiam debeo viris doctissimis natione Ungaricis ANDREAE ALFÖLDI et STEPHANO PAVLOVICS, qui non solum comiter certiores me fecerunt identidem rogantem de diplomatis frequentibus in museo Pestinensi adservatis, sed etiam permiserunt, ut materiam adhuc ineditam primum hoc in volumine publici faciam juris.

Iam vero mentio mihi facienda est viri illius, qui ab initio huic operi acumen iudiciumque suum suppeditavit, denique plagulas perlegens multorum consiliorum insignium auctor fuit, LOTHARI WICKERT Regimontani. Plagularum partem perlegit etiam GVILLELMVS WEBER, cuius opera grato animo memini.

Scripsi Berolini mense Aprili anni MCMXXXVI.

H. Nesselhauf.